



Ludolf Christian Treviranus

Observationes botanicae, quibus stirpes quasdam Germanicas illustrare conatus est et simul ad praelectiones suas per instans semestre hybernum habendas


Rostochii: Literis Adlerianis, 1812


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1006737650>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU phil. 1812

Treviran, Lud. Christ.







Mord.

An. Rost. 1812

Observationes botanicae,

quibus

stirpes quasdam Germanicas illustrare conatus est

et simul

ad praelectiones suas per instans semestre hybernum

habendas


i n v i t a t

Ludolphus Christianus Treviranus

Med. Dr.

in Acad. Rostoch. Bot. et Hist. Nat. Prof. P. O.

nec non Soc. Nat. Curios. Wetterav. Sodal. honorar.



Rostochii 1812.

L i t e r i s A d l e r i a n i s .

L e c t o r i S.

Munus a Serenissimo Duce Megapolitano - Suerinenfi mihi clementissimo mandatum, obiturus, mori antiquo, qui apud nos invaluit, Iubenter fatifacio et commilitonibus meis in colendo historiae naturalis amoenissimo campo heic observationes qualescumque in plantas quasdam Germaniae nostrae nondum satis cognitae, trado. Brevitas temporis, quod huic labori impendere licuit, me apud cordatos excusabit, si hinc inde in errorem incidero et erranti ut viam monstrant,

1. *Scabiosa leucantha* L. Planta a b. Wulfenio (Plant. rar. Descript. in Römeri Arch. f. d. Bot. III B. 5 St. 514.) in Austria littorali observata, eadem est cum Gallica (Deslongchamps Fl. Gall. P. 1. 77.) ut specimina hujus prope Narbonem lecta docent. Pappus exterior membrana est lacinulata, quo praeter foliorum pinnas lineari-lanceolatas, subferratas differet a Sc. corniculata W. K. (Pl. rarior. Hung. Vol. 1. t. XIII) ubi pappus exterior non adest, sed ejus loco feminis anguli in cornicula exeunt. Haec a Scab. uralensi Murr. (Comm. Goett. 1782. p. 15. t. 4.) diversa non est, quoad descriptionem, iconem et specimina horti Goettingensis. Nec quomodo distincta sit video, quae nomine Scab. laevigatae W. K. in pluribus hortis Germaniae hospitatur planta. Denique Scab. centauroides Lamark. (Illustr. Gen. 250.) quoad differentiam specificam et specimina horti Parisiensis, omnino eadem est cum Scab. nostra corniculata.

2. *Chenopodium viride* L. Species a Chenopodio albo L. plane diversa videtur, nec veram plantam prae oculis habere credo, qui illam alteri conjungit. Sic enim ex gr. Chenopod. viride Gmel. (Fl. Badenf. T. 1. 567.) et Fl. Dan. (t. 1150.) mera talis videtur Chenopod. albi varietas. Plantam meam Francofurti ad M. in sylvae Francofurtanae ruderratis legi, nec dubito Linnaeanam esse, cum descriptio Linnaei in Spec. Pl. Ed. 2. et Icon Vaillantii (Boti Paris. t. 7. f. 1.) optime quadrent. Differt a Ch. albo statura majore; racemis ramosis, magis foliatis; foliis triangulari-ovatis, illa Chenopodii muralis L. (si sinus et lobos obtusiores excipias) fere aemulis et omnibus, summis non exceptis, sinuatis.

3. *Gentiana Germanica Willd.* Sp. Plant. 1. 1346. Hujus eximiam iconem dedit Sturmius (Deutschl. Flora. 23. G. Amarella). Ex synonymis antiquiorum huc tantum pertinet *Gentiana autumnalis ramosa* C. Bauh. Pin. 188. Barrel. Ic. 102. Quamvis autem hujus caulis et ramorum anguli obtusiores sunt, quam in sequente, item laciniae calycinae aequales, corollinae patentiores, nec non locus natalis diversus, eum haec prae montosa sibi eligat: vix tamen ac ne vix quidem concederem, ut haec specie a sequente divellatur: limites enim dantur nulli. Ramorum numerus et longitudo, florum magnitudo et radicis color notas suppeditant haud magis constantes. Qui tamen retinere volebit certe ab illa *Gentiana unifloram* Willd. l. c. separare non debet, quae est mera ejus varietas caule unifloro, ut ex iconi citata satis elucet.
4. *Gentiana Amarella Willd.* l. c. 1347. Huc sine dubio pertinet *Gentiana pratensis flore lanuginoso* C. Bauh. Pin. 188. nec non icon I. Bauhini Hist. III. 526. repetita a Barreliero ic. 510. f. 2. — Florae Danicae icon t. 328. ambigit inter hanc et *Gent. Germanicam* Willd. et transitum ante oculos ponit. — Quamvis flores plerumque minores sunt, quam in antecedente, possideo tamen specimina in subalpinis montis Schneeberg in Austria lecta, quae ut plures plantae alpinae, floribus magnis et speciosis gaudent. Alia, cum iconi Cel. Schmidt (Röm. Archiv. f. d. Bot. 1. t. V. f. 13. Hippion axillare) magis convenientia, legi in pratis humidis ad littus maris Baltici prope Warnemünde. Caulis acutissime angulatus et fere alatus; laciniae calycinae lineari-lanceolatae, saepius inaequales, corollinae erectae.
5. *Gentiana uliginosa Willd.* l. c. Haec primum a b. Virò in Prodr. Fl. Berolinensis *Gentiana Amarella* salutabatur, tunc in Promptuarii botan. a Cl. Viris Römer et Usteri editi fasc. XI. perperam pro *Gent. campestris* Roth Fl. Germ. habita fuit, tandem in Edit. Spec. Plant. pro nova specie declarata est. Secundum numerosa specimina Berolinensia autem non

differt a Gent. Amarella nisi quod minor sit, caule tamen magis alato et laciniis calycis magis linearibus et inaequaliter elongatis. Cetera eadem, ita ut, ni fallor distinctam speciem inde formare minime liceat.

6. *Gentiana campestris* L. Variat calycis et corollae laciniis quinque, sicut jam in Flora German. annotat Cel. Rothius. Talis enim est secundum specimen a Cl. Auctore missum, Gent. Germanica Spreng. (Prodr. Fl. Halenf. 84.) Eadem quoque videtur *Gentiana obtusifolia* Willd. (Sp. Plant. 1. 1347.) secundum iconem citatam et specimen a Cl. Froelich communicatum. Haec itaque species, me iudice, delenda erit.

7. *Gentiana Preumonanthæ* L. Hujus singularem varietatem minorem, foliis lanceolatis, corollis quadrifidis in Ducatu quondam Oldenburgenfi legit b. Trentepohl.

8. *Pimpinella nigra* Willd. Pro distincta specie non habenda est, cum foliorum radicalium forma, nec non superficiei conditio pro foli natalis differentia insigniter variet. Specimina numerosa, etiam Berolinensia, sub auspiciis b. Willdenovii lecta, comparavi nec differentiam adsequutus sum. Similia quoque in collibus maritimis prope Warnemünde legi et transitum in Pimp. Saxifragam genuinam evidentissime vidi.

9. *Allium setaceum* W. K. (Pl. rarior. Hung. T. 1. t. LXVIII.) Idem est cum *Allio moschato* L. (C. Bauh. Prodr. t. 28.) secundum specimen hujus, quae Monspelio attulit b. Rohde.

10. *Rumex acutus* L. Quis nobis extricabit, quamnam plantam Linnaeus sub hoc nomine intellexerit? Scio, plures Germaniae botanicos Rum. Nemolapathum Ehrh. pro tali habere, nec Cel. Smithius aliter sentire videtur, cum *Lapathum acutum* minimum I. Bauh. Hist. III. 985. cujus icon Rum. Nemolapathum E. perbelle exprimit, ad R. acutum ut var. β . referat (Fl. Britt. 1. 392.) Nec verosimile est, Linnaeum plantam hanc vulgatissimam ignorasse. Ex altera parte

magnus vir in Spec. pl. citat Rumicem acutum f. Oxylapathum I. Bauh. II. 985. et Lob. Ic. 284. quae certe icones perexiguam habent cum R. Nemolapatho similitudinem et potius R. obtusifolii var. minorem f. etiam R. nemorosum Schrad. *) referunt. — Rumices obtusifolium et acutum L. non nisi varietates ejusdem speciei esse, sententia est b. Timmii in Spicileg. 1. Florae Megapol. (Siemssen Mag. f. d. Naturk. Mecklenburgs. 1 Bd.) Sed Linnaeus in Mant. Pl. 2. observat in R. obtusifolio: Valvularum dentes utrinque plures esse, longitudine diametri ipsius valvulae **). Non potest non hoc modo R. obtusifolium a consimili speciei distinguere voluisse et probabile utique sit, illum sub R. acuto R. nemorosum Schrad. intellexisse, illumque a R. Nemolapatho non distinxisse. Hinc icones citatae et valvulae dentatae in differentia specifica.

111. *Rumex aquaticus* L. Cl. Smithius, dum in Flora Britann. (I. 395.) hunc describit, inter synonyma etiam Rumicem Hydrolapathum Hudf. enumerat. Sed uterque toto coelo inter se differt; et mirandum itaque, qua ratione b. Willdenovius (Enum. pl. h. Berolin. 398.) et Sprengelius (Prodr. Fl. Halenf. 114.) Smithium secuti sint. Utraque species per totam, ni fallor, Germaniam provenit: at R. Hydrolapathum longe vulgatiores est. Optime utrumque distinxerunt b. Timm in Spicil. 2. Florae Megapol. (Siemssen Mag. f. d. Naturk. Mecklenb. Bd. 2.) et Gmelinus (Fl. Badenf. I. 100.) Cel. Wahlenbergio quidem (Flor. Lapon. 92.) non satis liquet, num Rum. aquaticus per Europam temperatiorem granula acquirat et in R. Hydrolapathum abeat. At fateor, me,

*) Idem est R. sanguineus β viridis Smith. Fl. Britt. Valvulae integerrimae, unica tantum granifera.


**) Haec adnotatio in System. Vegetabil. Ed. XIV. male ad Rum. acutum relata est, qui error in Spec. Plant. Editionem Willdenovianam transit.

quotiescunque hunc vivum examinaverim, ne minimum transitum in R. aquaticum observasse. — Synonyma Rumicis aquatici sunt: Hippolapathum Camerar. Epit. 252 et Lapathum majus I. Bauh. Hist. II. 985. Ad R. Hydrolapathum vero pertinent: Lapathum palustre V. et VI. Tabernaem. ed. Hier. Bauh. 824 et Lapathum maximum aquaticum I. Bauh. Hist. n. 986.

12. *Dianthus virgineus* L. Nullas invenio notas, quibus rite separatur D. sylvestris Wulfen. (Jacq. Collect. I. 257.) nisi quod huic caulis fit plerumque uniflorus. Folia eadem, neque differunt calyx et corolla. Icon Dodonaei in Spec. Plant. ed. Willd. huc relata, eadem est cum Clusii Caryoph. sylv. 1., qui, secundum Clusium „circa umbilicum hirsutus et odoratus“ est et a Linnaeo ad D. arenarium citatur, sed ob „foliorum colorem quasi caesium, calycem rubentem, petala lente limbriata, dilute purpurea“ ad D. caesium Smith. Britt. II. 465. pertinere videtur. In hortis cultus Dianthus virgineus flores numerosos in paniculam digestos protrudit.

13. *Anemone Pulsatilla* L. Plantae, quae ericeta arenosa agri Bremensis copiose inhabitat, scapus est villosus, folia bipinnata, laciniis lineari-fetaceis, novella hirsuta, adulta glabra, ceterum, quoad formam, immutata. — Varietatem autem coram habeo, lectam in pratis circa Vindobonam, cui scapus villosissimus, praesertim basi; folia novella perquam villosa, bipinnata, laciniis lineari-fetaceis; adulta et autumnalia omnino glabra. bipinnatifida, laciniis lanceolatis, saepe duas lineas et ultra latis, quales fere pingit Camerar. (Epit. 392.). Haec varietas tantopere accedit ad Anemonen Halleri All. ut valde dubitem, num specie vere sint diversae.

14. *Nepeta pannonica* Linn. Folia ovata, vel ovato-oblonga, nunc obiter, nunc profunde crenata, luci obversa reticulum vasorum pellucidum exhibentia. His differre vide-



tur a *N. nuda* L. cui folia oblonga, ferrata, (*Stachydis palustris*, ut habet Linnaeus) reticulo vasorum destituta. Sed limites vix dantur et dubium itaque superest, num specie vere differant. Certe *Nepeta montana* &c. Barrel. Ic. 601, quae in edit. Spec. Plant. Willden. tam ad *N. nudam*, quam ad *N. violaceam* L. citatur, a priori removenda est. Huic figurae optime respondet *Nep. latifolia* Decand. (Fl. franc. n. 2525.) secundum specimina, quae in Gallia Narbonensi inter Olette et Montlouis legit b. Rohde, quam itaque eandem dicerem cum *N. violacea* L. nisi Linnaeus huic tribueret folia dentata, quae in *N. latifolia* crenata sunt. Haec *Nepeta latifolia* D. iterum valde accedit ad *N. pannonicam* L. nec differt, nisi habitu robustiore, caule basi villosiusculo, nec omnino nudo, foliis minus scabris et panicula subspicata. Sed haec vix sufficiunt.


15. *Ballota alba* L. (Fl. Suec. Ed. 2. et Spec. Plant. ed. 2.). Planta a Linnaeo in Scania lecta etiam in maritimis Ducatus Megapolitani prope Warnemünde copiose provenit *), an e feminibus per mare e Scania translatis? Saltem in nullo alio, quantum mihi innotuit, Germaniae septentrionalis loco nascitur, quamvis *Ball. nigra* L. (Sp. Plant. Ed. 2.) ibi vulgatissima sit. Vulgatior autem illa est in Gallia et Britannia: specimina enim circa Narbonem lecta possideo, quae in nullis a planta nostrate recedunt. Huic calyx fulcatus, sicut in *B. nigra*, sed limbus absque fulcis et insuper reticulatus, laciniis subrotundo-ovatis, breviter aristatis. *Ball. nigrae* calyx brevior, quam illius, fulcis limbum utique percurrentibus, limbi laciniis lanceolato-subulatis. Ceterum locus natalis, odor et crescendi modus idem in utraque planta, ita ut merito in unam speciem conjungere videatur Deslongchamps (Fl. Gall. II. 357.). —

*) Varietas nempe floribus dilute purpurascens.

16. *Galeopsis Ladanum* Schreb. (Schweigg. et Korte Fl. Erlangens. II. 12.). Ab hac bene distinguenda est Gal. Ladanum Gmel. (Fl. Badenf. II. 619.) et plurium auctorum, quae est *G. angustifolia* Schreb. (l. c. 11.). Intermedia est inter *G. angustifoliam* et villosam Smith. et has in unam speciem conjungit. A priori habet foliorum crenas rariores et minus profundas, nec non spinulas calycis dimidiam laciniarum ejus longitudinem non superantes et corollas purpureas, calyce duplo longiores: a posteriori autem folia ovata et majorem villositatem. Copiose habitat in Ducatus Megapolitani agris, ubi *G. angustifolia* exulat, quantum hucusque comperi.

17. *Bunias orientalis* L. Plantam hanc, non nisi in Asia boreali et in Galicia hucusque observatam, ad littus maris Baltici prope Warnemünde primo observavit plantarum Ducatus Megapolitani strenuus investigator, Dr. Dethardingius, mihique in loco natali monstravit. Icon Gmelini (Fl. Sibir. III. t. 57.) aliam fere plantam indigitare videtur; folia enim inferiora omnino integra: at icon Houtt. Linn. Pl. Syst. t. 60. fig. 2. optime quadrat.

18. *Cheiranthus erysimoides* L. Descriptio a Linnaeo (Fl. Suec. Ed. 2. p. 255.) data, extra dubium ponit, plantam intellectam, quoad habitum externum, exacte convenire cum *Leucojo sylvestri* Clusii, qui rursus idem est, ni fallor, eum *Cheirantho erysimoides* Jacq. Austr. t. 74. Errat itaque Cl. editor Systematis Vegetabilium, si citat Fl. Dan. tab. 229, quae verum *Erysimum hieracifolium* L. exprimere mihi videtur, quo sub titulo etiam a Cl. auctore proponitur. *Cheir. erysimoides* Jacq. Linnaeo quidem in Mant. 2. idem est cum *Cheir. alpino*: sed ille, secundum specimina, in subalpinis Austriae ex. gr. in M. Loibl et Schneeberg lecta, pilis tegitur simplicibus adpressis et hac ratione, praeter alia, a *Cheir. alpino* L. recedere videtur, cui ex sententia Cl. Wahlberg (Fl. Lappon. 181.) pili foliorum stellati. *Cheiranthus erysimoides* Spreng. (Prodr. Fl. Halens. 187.) autem,



ubi simul citatur Fl. Dan. t. 229, neque Cheir. erysimoides est, neque Erysimum hieracifolium L. sed Erys. odoratum Ehrh. ut e speciminibus a Cl. auctore misis patet.

19. *Arabis hispida*, L. fil. Ab hac non differt *Arabis Cranziana* Ehrh. uti specimina hujus a b. Schrebero prope Erlangam lecta et in herbario amicissimi Rothii asservata me docuerunt.

20. *Arabis Halleri* L. Collatis hujus speciminibus Harcynicis et Arab. ovirensis Wulfen. Carinthiacis numerosis persuasum mihi habeo, nullum essentiale utramque intercedere discrimen. Folia enim radicalia subrotunda et radix repens etiam in *A. Halleri* observantur, uti jam ex *Halleri* descriptione patet.

21. *Turritis patula* Ehrh. Quamvis duratione diversa videatur, eadem tamen secundum descriptionem et specimina est *Arabis incana* Roth (Catal. botan. I. 79.). Nec diversae sunt *Arabis recta* Vill. et *Ar. aspera* All. quoad specimina, quae ex itinere per Galliam retulit b. Rohde. In unam itaque conjungendae sunt quatuor haec species, a b. Willdenovio partim in *Specieb. Plantar.* partim in *Enum. pl. h. Berolin.* figillatim enumeratae. Duratio omnibus annua vel biennis, nec unquam perennis, ut de *Ar. aspera* V. pronunciatum est.


22. *Trifolium procumbens* L. Legumen obliquum et ita stylus lateraliter insertus ut in *Trif. agrario* L. (*Tr. aureo* Poll.) quo, praeter alia, differre videtur a *Tr. filiformi* L., ubi legumen aequale et stylus apici insertus. Vexillum quoque minus, quam in hoc, alas superans, integerrimum, quod denticulatum in *Tr. filiformi*, apice leviter plicatum, nec omnino laeve, ut habet Schreberus (S. et K. Fl. Erlangens. II. 61.) Non tamen de utriusque differentia specifica certus sum, cum formae dentur intermediae, quas a quibusdam ad *Trif. procumbens*, ab aliis ad *Tr. filiforme* referri video. Tales enim sunt *Trifol. minus* Smith. Britt., *Trifol.*

procumbens Poll. Palat. Trifol. pseudo-procumbens et procumbens Gmel. Bad. c. f. p. Denique Trifolium spadiceum Schulz (Fl. Stargard. 190.) et Trif. campestre Schreb. mihi a Trif. procumbente genuino separanda non videntur ob caulem erectum. Caulis enim, qui primo erectus est, tandem prostrernitur, nec e longitudine petiolorum et pedunculorum certa diagnosi petenda est.

23. *Scorzonera humilis* L. Haec in pratis maritimis prope Warnemünde variat caule ramofo folioso bi- et trifloro, hinc melius a Scorz. hispanica L. distinguitur calycis squamis obtusis, interioribus elongatis lanceolato-linearibus. In Sc. hispanica enim omnes ovato-lanceolatae, acutae, nec intimae elongatae. Vulgatiorem Sc. humilis L. formam calyce nudo in Ducatu quondam Oldenburgenfi legit b. Trentepohl, hinc Scorz. austriaca Willd. specie diversa non erit, ejus specimina, in agro Vindobonensi lecta, foliis ludunt angustioribus et latioribus.

24. *Scorzonera glastifolia* Willd. Planta summpere dubia videtur. Secundum specimina ex Austria accepta, non differt a Sc. hispanica L. nisi foliis angustioribus. Plantam Ruppianam Cel. commentator et editor Florae Jenensis Sc. hispanicae vult esse meram varietatem. Ad plantam Halensem Cel. Sprengelius citat Scorzoneram angustifoliam alteram J. Bauh. Hist. II. 1061, quae vero eadem est cum Scorz. humili angustifolia Clus. II. 158. i. e. cum Scorz. austriaca Willd. Cel. Rothius plantam non vidit.

25. *Scorzonera muricata* Balb. Haec est Sc. laciniata Florae Goettingensis et Brunsvicensis secundum specimina inde accepta. Nec alia videtur Sc. laciniata Poll. Palat. et Gmel. (Fl. Badenf. III. 275.). Distincta autem omnino est Sc. laciniata Florae Austriacae secundum specimina in agro Vindobonensi lecta. Prioris enim caulis scaber et interdum scaberrius; foliorum, praesertim inferiorum, lacinae lanceolatae; calycis foliola acuta, corollis vix breviora. Contra in Sc. la-



ciniata Auftriaca caulis subinde pubescens quidem, sed absque ulla scabritie; foliorum lacinae magis elongatae et angustiores: at, quod praecipue notandum, calycis foliola obtusa, corollis dimidio breviora.

26. *Lactuca virosa* L. E Germania inferiori omnino exulat. Nam L. virosa Timm (Specil. 2. Fl. Megap.) nil est nisi L. Scariolae var. foliis integris; nec alia videtur L. virosa Rehent. (Fl. Neomarch. 91.). De L. virosa Fl. Halensis ipse dubitat Cl. Sprengelius, nec nisi ipsissima L. Scariola est L. virosa Schkuhr (Bot. Handb. t. 217.), quamvis haec icon a Gmelino (Fl. Badenf. III. 291.) ad L. virosam citetur, haud vero J. Bauhini figura (Hist. II. 1002.) qui plantam hanc se in Than Alfatiae observasse testatur. Ceterum L. Scariola loca sicca et aprica, L. virosa autem solum lapidosum et rupium fissuras amare videtur.

27. *Artemisia austriaca* Jacq. In unam speciem conjungi debet cum Art. repente Pall. Non enim nisi levioris momenti sunt notae, quibus illas separare conatur Willdenovius in Spec. Plant. et in Enum. pl. h. Berolin. Nec multum differt Art. nivea Redowsk. (Willd. Enum. 863.). Omnis est radix valde repens, pinnularum apex sub lente cartilagineus; flores nunc sesfiles, nunc breviter pedunculati. Generaliter etiam memoratu dignum est, quod Austria plures plantas cum Oriente communes habeat, quae ulterius non progrediuntur. Tales sunt ex. gr. Myagrimum austriacum, Anastatica syriaca, Orobus albus, Cytisus supinus et austriacus &c.

28. *Solidago Virgaurea* L. Hujus varietatem foliis perquam longis et latis, pedunculis axillaribus bifloris in sylvis ad Hankhufen, haud procul Rastede in Ducatu quondam Oldenburgenfi legit b. Trentepohl.


29. *Pyrethrum maritimum* Smith. Planta, quae in maritimis Ducatus Megapolitani, ubi jam b. Schreberus (Cfr. ejus traductionem itineris Westrogoth. Linnaeani 172.) quondam

legerat, copiose nascitur, in omnibus convenit speciminibus Pyr. maritimi, quale ad oras Britanniae nascitur et a me per plures annos ex feminibus inde acceptis cultum est, ex gr. caule decumbente, rubicundo; foliorum laciniis obtusis, carnosis, subtus carinatis, margine reflexo marginatis; floribus majoribus. Differt tamen radice annua, nec perenni ut habet Smithius *) et quod femina margine tantum acutissimo patente, nec membranaceo erecto coronata sint. An itaque Pyrethri inodori mera varietas? Certum est, hoc variare caule erecto et adscendente; foliorum laciniis setaceis et brevioribus, crassiusculis, subtus canaliculatis; floribus minoribus et majoribus. An itaque tota species delenda et varietatibus P. inodori adnumeranda? Saltem structura in una tantum parte differens non sufficit ad speciem qualemcunque distinguendam.

30. *Anthemis austriaca Jacq.* Collatis speciminibus numerosis in Austria lectis cum Anth. altissima L. qualis in hortis nostris occurrit et cum descriptione Linnaei bene convenit, nunc persuasus sum, utramque specie non differre. Minor quidem et villosior est A. austriaca: at statura, nec non foliorum, palearum et feminum forma plane eadem. Nec multum recedere videtur Anthemis peregrina Willd. (Spec. plant. III. 2182.) quae in ultimis Linnaei operibus desideratur et ex System. Naturae Ed. X. a Willdenovio, nescio quo jure, restituta est.

31. *Anthemis arvensis L.* Hujus semen ex sententia Linnaei (Fl. Suec. Ed. 2. 298.) coronato-marginatum. At rectius dicitur, quod apex feminis centro depressus sit (quod non in A. Cotula): nam margo inde formatus obtusissimus est et nullo modo corona dici potest. E contrario Anth. ma-

*) Planta tamen a me culta quotannis perit et eodem anno, quo e femine enata est, floruit.



ritimae L. femina minime nuda sunt, ut habet Willdenovius (Spec. plant. III. 2175.) sed marginem habent hinc depressum, illinc in membranam tenuem insigniter elevatum. Et hoc modo facile distinguitur ab A. arvensi, cui forma foliorum et habitu similis est, quaeque pariter gaudet foliis subpunctatis.

32. *Centaurea Karschiana* Wulfen. (Plant. rar. Descript. in Röm. Arch. f. d. Bot. III. 413.) Hujus specimina a b. Wulfen. missa et in herbario amiciff. Rothii asservata non differunt a Cent. parviflora Desfont. (Fl. Atlant. II. 301.) quoad specimina horti Parisiensis. Fatendum tamen est, quod descriptiones, nempe illius a b. Wulfen, hujus a Cl. Desfontaines, datae, in pluribus non conveniant. Nec nisi forma paulo tenerior est Cent. ovina Pall. quam Willdenovius (Spec. Plant. III. 2292.) nimis subtiliter a C. virgata Lam. separare conatur. Caulis omnibus his incano - scaber, ramosissimus, ramis erecto - patentibus, subcorymbosis, firmis; folia inferiora pinnatifida, laciniis lineari - lanceolatis, acutis, summa simplicia; calyces ovati, squamis stramineis, subpatentibus, ciliis spinulas aemulantibus, terminali longiori et firmiori. Valde his quoque accedit *Centaurea spinoso - ciliata* Seenus (Iter Dalmaticum N. 19.): tamen differre videtur, quantum e planta culta judicare licet, habitu robustiori, foliis etiam summis pinnatifidis, punctatis, ramis divergentibus, pedunculis incrassatis, foliolis calycinis antrorsum purpurascensibus una cum spinula terminali, quae huic quam illis validior est. An tamen mera varietas?

33. *Carex chordorrhiza* Ehrh. - Plantam hanc, in stirpium Germanicarum catalogis hucusque desideratam, in pratis paludosis prope Bremam b. Rohde et similibus in locis prope Rostochium Dr. Dethardingius eodem fere tempore primo observavit. Cum speciminibus Succicis secundum omnes partes optime convenit.


34. *Salix triandra* L. (Schkuhr bot. Handb. t. 317. b. 9. et Hoffm. Hist. Salicum t. 9. 10. 23.). Non differt a S.

amygdalina, nisi foliorum pagina utraque concolore, cum in hac inferior magis minusve glauca sit. Nectarium posterius feminarum, cuius mentionem facit Hoffmannus l. c., non inuenio.

35. *Salix amygdalina* Smith. (fide speciminum a Cl. viro communicatorum). Frequens est in salicetis ad ripas fluviorum Saxoniae inferioris. Eadem quoque, ni fallor, est *S. triandra* Willd. et plurium auctorum. Foliorum pagina superior ob glaucedinem inferioris profundius virescit, quam in *S. triandra*. Praeterea stipulae in *S. amygdalina* reniformes, ferrulatae, quae in *S. triandra* femicordatae, ferratae, optime momente amicissimo D. Flugge. In partibus fructificationis nullam differentiam inveni, hinc dubius haereo, num specie vere differant. Nec *Sal. Villarsiana* Willd. (Spec. plant. IV. 655.) secundum specimina Gallica a *S. nostra amygdalina* recedit, nisi foliorum glaucedine intensiori, ut subtus fere nivea appareant. Denique nullo modo diversam puto *S. Hoppeanum* Willd., quoad descriptionem et iconem a Cel. Sturm (Deuschl. Flora 25.) datam. Forma enim foliorum variat et amentis androgynis saepissime luditur in *Salicum* genere.

36. *Salix undulata* Ehrh. Pasim in agro Bremenfi, sed marem ibi nondum vidi, nec ullus vidit, praeter Ehrhartum. Cortex ramulorum luteus s. luteo-cinereus; folia lanceolata, acuminata, basi acuta et in petiolum attenuata, margine crenata et subflexuosa, supra glabra, non tamen lucida, subtus pubescentia, praesertim juniora; stipulae exiguae; amenta feminea vix uncialia, oblonga; squamae ellipticae, villosissimae, stylo multo breviores; germen pubescens, lanceolato-subulatum. Plantam Ehrhartianam eandem esse, e speciminibus certus sum.

37. *Salix* Foliis lanceolatis, basi obtusis, ferratis, nitidis, subtus glabris; amentis cylindricis; geminibus pubescentibus, squama majoribus. E vulgatoribus est speciebus agri Bremenfis. — Frutex satis altus. Ramorum



cortex cinereo - fuscus, nitidus. Folia breviter petiolata, toto margine acute ferrata, supra obscure viridia, nitidissima, subtus pallidiora, omnino nuda. Stipulae femiovatae. Amenta feminea, quae sola vidi, cylindrica, biuncialia, albida. Squamae dimidiam germinis longitudinem vix superantes, concavae, ovatae, perquam villosae; germen conicum, modo pilosum, modo glabrum. Stylus elongatus. Stigmata bipartita. — Ex his patet, quomodo a *S. triandra* L. et undulata E. differat. Salicis lanceolatae Smith. diagnosis et brevis descriptio a Willdenovio (Berl. Baumz. Ed. 2. 453.) data, in nostram perfecte quadrant, at specimina horti bot. Berolinensis valde differunt.

38. *Salix* Foliis lanceolatis, acuminatis, basi acutis, crenatis, subtus pubescentibus; germinibus pubescentibus; squamis canaliculatis, aequantibus. Et hic frutex sat vulgaris est ad ripas aquarum agri Bremenensis. — An a *S. undulata* E. distincta sit species, nondum mihi constat. Folia eadem, sed plerumque angustiora et nonnunquam linearilanceolata, apicem versus ferrulata, cetero margine vero crenata. Amenta autem feminea, quae sola vidi, diversitatem constantem exhibent. Sesquiuncialia enim sunt, longius pedunculata; squamae oblongae, canaliculatae, rubellae, et ad lentem variae, ut in *S. mollissima* E.; apice paululum recurvato, villum longum exferente; germen lanceolato - subulatum, plerumque pubescens; stylus cum stigmate bilobo squamam aequans. — *Salix hippophaëfolia* Thuill. (Perf. Synopf. Pl. P. II. 600.) num huc vel ad *S. undulata* E. pertineat, e speciminibus auctoris non satis liquet; folia enim Salicis hujus nostrae videntur, amenta feminea autem illis Salic. undulatae E. magis similia sunt.


39. *Salix fragilis* Linn. (Schkuhr. bot. Handb. t. 517. b. 6.). Caute ab affinis distinguenda est. Ramuli in corymbum quasi dispositi, quo jam e longinquo dignoscitur, cinerei, glabri, nodosi. Foliorum juniorum nervi parallelum et arcuatum decursum versus apicem servant, adulta subtus

glauescunt, subcoriacea sunt, grosse ferrata, acumine valde producto; floralia omnino nuda. Amenta crassa, villosa, squamis oblongis, pallidis, apice villosis, perquam deciduis. Stamina duo, supra basin coalita. Nectarium duplex maris, quo Smithius (Fl. Britt. III. 1051.) vult hanc speciem distingui, etiam in *S. Russeliana*, alba, triandra et pentandra adest, nec non in *S. vitellina*, monente Hoffmanno. Germen acuminatum ob stylum valde elongatum; stigma bifidum, lobis oblongis. Nectarium feminarum simplex, loco posterioris enim macula oblonga lucida in squama adest.

40. *Salix Russeliana* Smith. (Fl. Britt. III. 1045.) Species intermedia inter *S. fragilem* et *albam*, ab utraque tamen omnino distincta. Rami graciles, purpurei, glabri. Folia floralia subvillosa, ramea juniora pubescentia, adulta subtus glauca tantum et fere glabra, teneriora ac in *S. fragili*, ferraturis crebrioribus et minus profundis. Amenta villosiuscula, squamis oblongis, luteis, apice ciliatis, nec villosis. Stamina duo, nec tria, ut suspicatur Smithius, quorum filamenta basi cohaerent. Stylus minus elongatus, ac in *S. fragili*; stigma obcordatum. Praecedenti non minus vulgaris est ad ripas fluviorum et aquarum profundiorum agri Bremensis.

41. *Salix alba* L. Species vulgatissima distinguitur a *S. Russeliana* Sm. ramulis incanis; foliis floralibus sericeo-villosis, adultis utrinque sericeo-pubescentibus; amentis tenerioribus et simul longioribus; squamis subrotundo-ovatis, apice omnino nudis; flaminibus ad basin usque distinctis; gemine obtuso ob stylum brevissimum. E ferius florentibus est et amenta tunc, praesertim mascula, odorem suavissimum spargunt, qualem in *S. Russeliana* et *fragili* nunquam observavi.

42. *Salix vitellina* L. Mera est, eademque rarior varietas *Salic. albae* L., secundum specimina ex h. botan. Berolinenfi et aliunde accepta vel in agro Bremensi lecta. Nec singulare aliquid habent icones Hoffmanni (Hist. Sal. t. 11. 12. et t. 24. f. 1.) vel Schkuhrii (Bot. Handb. t. 317. b. 7.) immo



hic figuram modo dictam tam ad *S. albam*, quam vitellinam citavit, et Cl. Smithius hanc speciem, ut ipse fatetur, (Fl. Britt. III. 1051.) „ex auctoribus tantum conscripsit.“ Non differt itaque *S. vitellina* L. a *S. alba* nisi ramorum et amentorum masculorum colore flavo-rubente et foliorum virore faturatiore. Fructificatio plane eadem.

43. *Salix pentandra* L. Pleraeque Salicum species, quas pro indigenis habemus, non nisi hominis manu multiplicantur: haec tamen in turfosis Germaniae inferioris indubie spontanea est. Stamina, si quatuor adfunt, per paria basi cohaerentia, si quinque, impar ad basin usque liberum est. Nectarium anterius quandoque bipartitum. — Vix ac ne vix quidem specie diversa est *Sal. Meyeriana* Willd. (Berlin. Baumz. Ed. 2. 427.) secundum descriptionem, l. c. datam et specimina horti bot. Berolinensis. Nec aliam formam, nomine *Salicis tetrandrae* Willd. inde acceptam, pro distincta specie agnoscere possum.

44. *Salix rubra* Smith. (Fl. Britt. III. 1042.) Rarius observatur ad ripas aquarum profundiorum agri Bremenfis. Cl. Smithius ad hanc plantam suam citat *S. fissam* Ehrh. non vero Hoffm. Tamen *S. fissa* Hoffm. secundum icones (Hist. Salic. t. 13. 14.) nec non specimina horti bot. Goettingensis omnino eadem est. Folia juniora integerrima, adulta antrorsum serrulata, medio crenata, basin versus integerrima; ad quinque uncias longa, subflaccida. Germina, postquam in fructum abierunt, compressa. E primis verno tempore amenta protrudit. Denique notandum est, eandem esse *Salicem* membranaceam Thuill. (Perf. Synopf. pl. II. 600.) secundum specimina auctoris.


45. *Salix monandra* Ehrh. Hoffm. Hanc iterum in duas species disjungit Cl. Smithius, quem sequuntur Willdenovius (Spec. plant. IV. 672. Berl. Baumz. Ed. 2. 437.) Gmelinus (Fl. Badenf. III. 726.) et alii. Spontaneam in agro Bremenfi non nisi unam observavi, quae est frutex humilis aliquot

pedum, littora fluviorum arenosa amans. Rami huic erecti. Folia obovata s. obverse ovato-lanceolata, obsolete acuta. Stylus brevissimus vel nullus, stigmatibus subrotundis. Est itaque *S. purpurea* Smith. secundum descriptionem, nec non *S. monandra* Hoffm. quoad icones ab ipso (Hist. Salic. t. 1. 5. 23.) datae. At haec ipsae tabulae a Smithio ad *S. Helicem* citantur. Hanc ego non nisi cultam vidi et de nomine non dubitavi, tum quia arborescat et foliis gaudeat lineari-lanceolatis, tum quia eadem fit cum *S. Helice* horti bot. Berolinensis, ut e speciminibus vidi. Sedulo tamen collatis amentis femineis Salicis illius purpureae spontaneae et *S. Helicis* hujus cultae nullam plane differentiam, quoad stylum et stigmata, detegere potui. Suspiciari itaque licet, *S. Helicem* nostram esse meram *S. purpuream* cultura mutata. Partes enim femineae ex sententia Cel. Smithii plane aliae sunt in *S. Helice* Fl. Brittan. Quisnam nobis lucem afferet in his tenebris? Certe icones utriusque speciei, a Cel. Viris Hoppe et Sturm (Deutschl. Flora 25.) datae, diversitatem non habent in stylo et stigmatibus.

46. *Salix Jacquini* Willd. Non differt a *Sal. Myrsinite* L., cujus specimina, a Cl. Smithio missa, coram habeo, nisi foliis tenui lana obvolutis. Habitus, foliorum forma et substantia, nec non ramificatio nervorum, qua *Salic. Myrsinitis* folia tam insignia sunt, eadem observantur in *S. Jacquini* W. An itaque mera varietas subalpina?

47. *Salix bicolor* Ehrh. Ab hac *Salix cotinifolia* Smith (Fl. Britt. III. 1066.) secundum specimina missa non nisi foliis subtus subvillosis, tenellis etiam supra pubescentibus, differre videtur. Neque multum recedit *S. pyrenaica* Gouan (Willd. Sp. pl. IV. 696.) cujus numerosa specimina, in Pyrenaeorum convalliis lecta, foliorum forma et superficie mire ludunt.

48. *Salix viminalis* L. Staminum exsertio in amentis masculis ex apice ad basin progreditur, nec uti in aliis ex. gr. *S. triandra* et *alba*, e basi amenti ad apicem. Nectarium tam



maris, quam feminae elongatum. Stigmata linearia bipartita, nec integra, ut perperam habent Smithius et Hoffmannus.

49. *Salix mollissima* Ehrh. Bremae frequens est in facietis ad ripas Visurgis. Habitus fruticis idem ac *S. viminalis*: attamen, de floris partibus diversis ut taceam, ramuli lutei, glabri: nec cinerei, pulverulenti, ut in *S. viminali*. Folia oblongo-lanceolata, utrinque acuta, subtus, si juniora sint, pube molli vestita, si adulta, nuda; unde pagina inferior nunc subsericea, nunc superiore glabrâ et nitidiusculâ tantum pallidior apparet. His pensitatis et respectu simul habito lusum formae in *Salicum* foliis, non dubito, quin eadem sit *S. mollissima* Smith (Fl. Britt. III. 1070.) quamvis separet b. Willdenovius (Enum. pl. h. Berlin. 1008.) nomine *Salic. Smithianae*.


50. *Salix stipularis* Smith. (Fl. Britt. III. 1069.) Specimina nostra, in agro Bremensi nonnisi bis lecta, Smithianis quoad formam et superficiem foliorum optime conveniunt. Sunt enim folia haec oblonga, octo uncias in longum, sesquiunciam in latum extensa, utrinque acuta, subtus tomentosa cum nitore sericeo. At stipulae in Britannica stirpe petiolum aequant vel superant, in nostra autem ejus dimidiam tantum longitudinem attingunt, quamvis ceterum harum forma sit eadem. An tota quanta species mera varietas *S. acuminatae*? Certe eadem cum nostra est *L. oleaefolia* Vill., quoad specimina a Cl. Flügge communicata.

51. *Salix acuminata* Willd. (Berlin. Baumz. Ed. 2. 454.) Eadem videtur *S. acuminata* Smith. (Fl. Britt. III. 1068.) E rarioribus est speciebus agri Bremensis. Dissert. a *S. aquatica* Sm. foliis oblongis, medio ventricosis, utrinque aequaliter attenuatis, nec anterieus latioribus sive obovatis. Pagina superior opaca, subrugosa, inferior tomentosa, sed absque nitore sericeo. Margo leviter crenatus s. undulatus. Amenta feminea ut in *S. aquatica*, sed graciliora et stylus elongatus, cum *S. aquatica* stylo gaudeat brevissimo et stigmatum laciniis brevioribus, oblongis.

52. *Salix aquatica* Smith. Species vulgatissima per Germaniam inferiorem. Antherae, antequam rumpuntur, aurantiacae; stigma ovata, primo indivisa, deinde bifida. *S. acuminata* Hoffm. (Hist. Salic. t. 22.) ob folia antrorsum latiora huc potius, quam ad *S. acuminatam* Willd. pertinere videtur; certius autem huc referenda est *S. acuminata* Timm. Fl. Megap. et Ehrh. secundum specimina, nec non *S. acuminata* Schkuhr (Bot. Handb. t. 317. c. 12.) Nec alia videtur *Salix Caprea* β . Linn. (Fl. Lapon. t. 8. u.) ex qua varietate, quamvis non visa, b. Willdenovius temere novam speciem, nomine *Salic. obtusifoliae*, condidit. Folia juniora enim in nostra planta plerumque obtusa. — Variat foliis exacte obovatis, oblongo-obovatis et lanceolato-obovatis acuminatis, nec non subtus tomentosus et mere glaucis. Sic enim fruticem hujus autumnali tempore in fossa exsiccata observabam, cujus folia vernalia crassa et subtus tomentosa, aestivalia autem tenuia et subtus glauca erant, pilis raris ad nervos tantum praesentibus.

53. *Salix Caprea* Linn. Folia interdum opposita, vel duo simul prodeunt ex uno puncto. Eadem quoque est *S. ulmi-folia* Thuill. nec Vill. secundum specimina ab auctoribus communicata, quae attulit b. Rohde.

54. *Salix uliginosa* Willd. (Berlin. Baumz. Ed. 2. 451. t. IV. f. 1.) Hanc non nisi varietatibus *S. auritae* L. adnumerare possum, non enim dantur limites. Etiam Smithio distincta non est species, ut e descriptione in Fl. Brittan. et specimenibus patet. Quoad habitum robustior est quam *S. auritae* forma folita; ramorum cortex magis fuscus; folia supra obscurius virentia, rugosiora, basi minus attenuata, apice acutiora, margine undulato-dentata, nec tamen a medio ad insertionem petioli usque integerrima, ut habet Willdenovius l. c.; stipulae dentatae; germina tomentosa quidem, tamen viridia, nec cana. Huc pertinet *S. aurita* Schkuhr. (Bot. Handb. t. 317. a.) et *S. aquatica* Spreng. (Mant. 1. Fl. Halenf.) fide speciminum a Cl. auctore communicatorum. Denique loca humida non amare



videtur, sicut asserit Willdenovius, non enim nisi in locis editioribus et siccioribus agri Bremensis illam observavi.

55. *Salix aurita* Linn. (Willd. Berl. Baumz. Ed. 2. t. IV. f. 1.) In ericetis turfosis agri Bremensis sponte provenit et quandoque copiosissime. Tunc altitudinem aliquot pedum non superat et ramos diffusos patentes habet. Folia subrotundo-ovata, margine fere interrimo.

56. *Salix spathulata* Willd. (Spec. pl. IV. 700.) Passim incolit ericeta arenosa circa Bremam et est *S. fusca* Roth Fl. German. monente ipso amiciff. viro. Differt a *S. aurita* toto habitu, magnitudine minori, foliorum forma et margine, praecipue autem stipulis, quae in hac lanceolatae, acutae, in *S. aurita* vero late-ovatae sive reniformes sunt. Amenta mascula et feminea eadem, sed minora.


57. *Salix ambigua* Ehrh. (Beytr. VI. 103) Valde accedit *S. fuscae* L. etiam quoad habitum, tamen satis distincta videtur. Folia enim majora, exacte ovalia, margine anteriori dentibus acutis circumscripto, subtus tomentosa absque nitore; stipulae magnae oblongae. In partibus fructificationis differentiam nullam vidi. Raro mihi obvenit in locis arenosis, ad aggeres circa Bremam.


58. *Salix argentea* Smith. Non differt a *S. fusca*, nisi foliorum et ramorum villositate nitidoque vestitu, qui autem successu temporis evanescit. Hoc modo specimina asservo, quae altera extremitate *S. argenteam*, altera *S. fuscam* referunt. Hinc utraque mihi in unam eandemque speciem conjungenda videtur.


59. *Salix fusca* Linn. Difficillime limites inveniuntur inter hanc et *S. repentem*. Folia enim saepe ex ovali in formam lanceolatam transeunt et stipulis saepius carent, quam illis instructa sunt: nec *S. repentis* folia semper integerrima, ut habet Smithius, plus semel enim illas denticulatas vidi. Tamen *S. repentis* major teneritas et color laetior, folia lanceolata, antrosum plerumque latiora, saepius integerrima, nec non stipularum absentia absoluta, illas disjungere suadent.


60. *Salix repens* Linn. Arbor quasi subterranea, truncus enim latet, rami vero emergunt, terraeque incumbentes radican. Folia juniora subtus sericea, adulta autem glauca.

61. *Salix rosmarinifolia* L. Eadem est *S. incubacea* Schkuhr (Bot. Handb. t. 317. c. 14.) Folia tamen elliptica, quibus illam variare asserit b. vir, nunquam vidi. Incolit loca deserta arenosa et pineta agri Bremensis, rarius tamen obvia est. A *S. repente* differt magnitudine, foliis utrinque aequaliter attenuatis, semper integerrimis, nec antrosum latioribus, dentatisque; apice semper recto, nec recurvato; pagina inferiori semper sericea, nec aetate glauca tantum; amentis femineis uncialibus, nec semiuncialibus. Variat tamen foliis latioribus et angustioribus, stipulis praesentibus, vel nullis, germinibus magis vel minus tomentosis.









procumbens Poll. Palat. Trifol. pseudo-procumbens et procumbens Gmel. Bad. c. f. p. Denique Trifolium spadicum Schulz (Fl. Stargard. 190.) et Trif. campestre Schreb. mili a Trif. procumbente genuino separanda non videntur ob caulem erectum. Caulis enim, qui primo erectus est, tandem prostrernitur, nec e longitudine petiolorum et pedunculorum certa diagnosi petenda est.

23. *Scorzonera humilis* L. Haec in pratis maritimis prope Warnemünde variat caule ramoso folioso bi- et trifloro, hinc melius a *Scorz. hispanica* L. distinguitur calycis squamis obtusis, interioribus elongatis lanceolato-linearibus. In *Sc. hispanica* enim omnes ovato-lanceolatae, acutae, nec intimae elongatae. Vulgatiorem *Sc. humilis* L. formam calyce nudo in Ducatu quondam Oldenburgensi legit b. Trentepohl, hinc *Scorz. austriaca* Willd. specie diversa non erit, cujus specimina, in agro Vindobonensi lecta, foliis ludunt angustioribus et latioribus.

24. *Scorzonera glastifolia* Willd. Planta summo prope dubia videtur. Secundum specimina ex Austria accepta, non differt a *Sc. hispanica* L. nisi foliis angustioribus. Plantam Ruppianam Cel. commentator et editor Florae Jenensis *Sc. hispanicae* vult esse meram varietatem. Ad plantam Halensium Cel. Sprengelius citat *Scorzoneram angustifoliam alteram* J. Bauh. Hist. II. 1061, quae vero eadem est cum *Scorz. humili angustifolia* Clus. II. 158. i. c. cum *Scorz. austriaca* Willd. Cel. Rothius plantam non vidit.

25. *Scorzonera muricata* Balb. Haec est *Sc. laciniata* Florae Goettingensis et Brunsvicensis secundum specimina inde accepta. Nec alia videtur *Sc. laciniata* Poll. Palat. et Gmel. (Fl. Badenf. III. 275.). Distincta autem omnino est *Sc. laciniata* Florae Austriacae secundum specimina in agro Vindobonensi lecta. Prioris enim caulis scaber et interdum scaberriimus; foliorum, praesertim inferiorum, lacinae lanceolatae; calycis foliola acuta, corollis vix breviora. Contra in *Sc. la-*

